

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gravamina sacri Romani Imperii principum ac procerum

[S.l., Mainz], 1523

Qvemadmodvm cavssae prophanae sub praetextu, denegatae executionis
ad ecclesiasticorum consistoria trahuntur

[urn:nbn:de:bsz:31-114121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-114121)

iurisdictioni usurpare conantur. Quod ipsum iurisdictioni
ciuili non ferendum est onus ac grauamen.

QVEMADMODVM CAUSSAE PROPHA-
nae sub praetextu, denegatae executionis ad
ecclesiasticorum consistoria trahuntur,

ITEM, si quando personae laicae in causis etiam omni-
no prophanis, a iudicibus ecclesiasticis citationes impe-
trare conentur, praetendantque magistratum ciuilem, debi-
tam sibi iuris executionem facere neglexisse, antequam sum-
marie saltem per euidens aliquod docuerint instrumentum
iustitiam, ut quaeruntur, sibi denegatas citationes tamen,
atque alij iudiciarij processus a iudicibus ecclesiasticis ad so-
lam petentium quaerelam his decernuntur. Quod si dein-
ceps ad petitionem, uel ciuilibus iudicibus, aut partis in ius uoca-
tae, causae huiusmodi ad ordinarium tribunal remittan-
tur, praefigitur, ciuili iudici per breue quatuor hebdoma-
darum, puta tempus fatale, intra quod, actoris intentioni
& quaerimoniae ex integro, atque ex asse executionis ordi-
ne satisfaciatur. Ac si in arctissimo ita praestituto termino senten-
tia diuinitua, aut non fertur, uel executioni lata non man-
datur, libertatem dehinc iudex ecclesiasticus dat actori lai-
co, coram suo tribunali, ulterius procedendum, fitque non
raro, (mirum hoc auditu) ut causa, quae intra mensis spaci-
um coram ciuili consistorio agitari, peragique debebat, quae
haec eadem apud ecclesiasticum iudicem triennio, aut eo
amplius pendeat, hinc indecisa.

AIUNT praeterea iudices ecclesiastici, in talibus ca-
sibus prophanas ad se causas pertrahere sibi licere, si ma-
gistratus ciuilibus in administranda iustitiae executione ne-
gligens inueniatur e regione tamen ferre minime possunt,
ut in pari casu idem iuris cum eis seruetur. Nimirum ut in
causis ecclesiasticis quispiam de neglecto cultu iustitiae ab
ecclesiasticis apud laicos, aut ciuiles magistratus conque-
ri, ac iustitiam sibi per ciuiles magistratus administrari po-
stulare

stulare possit: quanquam iura communia in genere diffi-
niant, statuantq̄, quo pacto canonica ciuilibus, & eregio-
ne canocis ciuilia iura opem suppetiasq̄ ferre debeant.

QVO PACTO ECCLESIASTICI IUDICES
seculares causas, prætente iurisdictionis præ-
textu, inesse transferre conentur.

NEQ̄ hoc plerisq̄ longa experientia rerū ac eruditio-
ne doctis probatur, quod iudices ecclesiastici, qui-
busdam in locis diuturni usus quasi possessionis, adimple-
taq̄ præscriptionis prætextu, laicorum controuersias cor-
ram se dirimendas hactenus præsumpserunt, Nam ea ex
re Cæsarea Maiest. Romanumq̄ Imperium haud parum
detrimenti patitur, utputa, quod non minimus Imperij ho-
nor temporalis s. iurisditio memoratæ præscriptionis uel
anime minuitur, attenuatur, & penitus ab Imperio ad ec-
clesiasticos transfer tur. Quod contra recepta, aperta q̄ iu-
ra, nemo est qui nesciat, quibus statuitur & cauet, ut nul-
li præscriptioni quantumuis longe aduersus præeminen-
tem, tum papæ, tum Cæsaris potestatem siet locus.

Q̄ INIQ̄ VE HOMICIDAE, ALIQ̄ VE PEC-
catores ab ecclesiasticis iudicibus duplici afficiantur pœna.

QUUM diuina humanaq̄ iura uetent, ut nemo duabus
cedi debeat uirgis, merito pleriq̄, quibus cerebrū
est, non nullarum cathedralium ecclesiarum odiosa statuta,
peruersosq̄ mores, quibus utriusq̄ sexus homicidas, re-
liquosq̄ maiorum, minimorumue criminum reos hucusq̄
& uexarunt, detestantur. Nam hactenus seruata est cōsue-
tudo, quod homicidij similia q̄ facinorum, quos casus
Episcopis re seruatos uocant, rei, peracta in aurem confes-
sione, publicam pœnitentiam, in totius populi conspectu
cum magno suorum ipsorum dedecore, ignominia, infam-
ia, subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma nō
usq̄ quaq̄ improbanda foret, utpote, quæ ad primitiue ec-
clesiæ